

† R. P. Eduardus Philipps (1887-1953)

(*Prov. Argentor.*)

Hic dignus S. Alfonsi filius fuit sextus e novem liberis Caroli Philipps et Annae Fischer, natus in Aschbach (*Bas-Rhin*) 26 Oct. 1887, mortuus in quodam nosocomio Colmariensi 25 Ian. 1953, tunc sodalis communitatis ad Tres Spicas.

Spiritum orationis, quem in lecto mortis tam eloquenter commendavit, ut postea dicetur, et quem in tota vita in praxim deduxit, iam in familiae suae sinu didicerat, ubi preces matutinae vespertinaeque omni die recitabantur et hiemali tempore cotidie Rosarium. Etiam cotidiana Missae assistentia erat lex consuetudinaria.

Annos natus quattuordecim, secutus exemplum fratris maioris Iosephi, qui hodieum in longinqua Bolivia in aetate 73 annorum novitios conversos docet Magister, vallem Rhodani petiit, ut in Seminario nostro Uvrier gymnasialibus studiis vacaret. A. 1907 a P. Directore Stanislao Bédon, finito paenultimo anno iam in novitiatum Attert missus est et ibi 8 Sept. 1908 vota perpetua, iuxta ius tunc vigens, emisit. Sequebatur Epternaci cursus philosophiae et theologiae, usque ad magnam illam caesuram historiae recentioris, cui *datum est ut sumeret pacem de terra* (cf. Apoc. 6, 4), i. e. usque ad primum bellum « mundiale ». Huius belli annis fuit vicarius cooperator in Schleithal (*Bas-Rhin*) sub digno parochi Schwob.

Sub P. Iosepho Nusbaum a. 1919 Epternaci secundum novitiatum perfecit simul cum PP. Ruffenach, Dillenschneider, Oswald, Weiten, Kroener aliisque viris famosis, et dum eorum plures postea magisterio iuventae nostrae destinantur, P. Ed. Philipps factus est missionarius, et missionali apostolatui totum se dedit, saltem usque ad a. 1934, quo primum e corde laborare coepit. Sic uno

decennio 1925-1935 e Monte Episcopali habuit 50 missiones, 24 renovationes, 57 cursus exercitiorum, 18 iubilaea, 19 tridua, 187 auxilia variis locis praestita. In universum eius ministerium apostolicum comprehendit 96 missiones, 37 renovationes, 68 exercitiorum cursus maiores, 52 minores, 110 tridua. Sermones dominicales ac festivos et conferentias particulares non notavit, sed dicit simpliciter: « *J'ai prêché à peu près 6.700 fois, sans parler des travaux pendant les deux guerres* ».

Conciones Patris Eduardi erant solidae, perspicue dispositae, populares, et cum gravi voce, germanice *Bass*, ac sincera vividae fidei persuasione pronuntiarentur, semper efficaces erant ac populo pergratae. Ab hac efficientia non alieni erant oculi penetrantes et vultus macilentus, in populi memoriam S. Aloisium revocans, ita ut lepide ipse quondam diceret: « Ecce confratrum meorum caritas! Foris me appellant alterum S. Aloisium, et soli confratres id credere nolunt! ». Revera tamen erat dilectus non solum Deo et populo, sed etiam confratribus, licet non nisi semel et per paucos menses ad culmina honorifica Superioris localis ascenderit, ac raro in communitate sua fuerit Minister vel Consultor vel Admonitor. Consolare, dilecte P. Eduarde! Qui haec scribit, diutius quam tu in claustris vivit, neque unquam fuit sive Superior sive Consultor sive Admonitor sive Minister sive Subminister, et tamen beatus est!

Narremus nunc pium « transitum » huius insignis sodalis. Vespere Domini-cae 18 Ianuarii 1953 P. Albertus Stocker, Rector ad Tres Spicas, per telepho-num fit certior se desiderari a P. Philipps, in nosocomio vicini oppidi Colmar degente. Statim igitur eo appropinquat et ab aegroto excipitur verbis: « Volui te videre, ut scirem, quisnam sit revera meus status ». — « Oportet te esse paratum, dilecte Pater! ». — Momentum stuporis et silentii. Tum is, qui mortis signo iam signatus erat, forti animo ordinat res suas; tradit stipendia Missarum litandarum; monstrat elenchum eorum, quibus brevissimus nuntius proximae mortis mittendus, veluti: « Cum haec legeris, ego ero in aeternitate. Ora pro me ». Ait satis esse in Bolivia sic certiore fieri nepotem P. Iosephum Raymundum Philipps, totius Vice-Provinciae Superiorem; ab eo fratrem germanum id auditurum esse. — Novum silentium. — « Nunc velim meam confessionem peragere ».

Et nunc audiamus « ultima verba » genuini filii S. Alfonsi. « Cum perventum est ad finem vitae et retrospectitur, clare apparet multa melius faciendae fuisse. O stultitiam hominum! Tempus teritur inutiliter, quod tam bene orationi impenderetur. Momenta subseciva non satis orationi dantur. In morte contenti essemus, si multas visitationes SS. Sacramenti fecissemus multaque Rosaria recitassetem... Oportet servare has antiquas traditiones maiorum nostrorum, qui tantum orabant. Oratio Redemptoristam facit. Nimis facile nos dispensamus a servanda Regula, et tamen est sapientissima. Actus observantiae regularis divitiae sunt, quas nobiscum portamus ad aeternitatem ».

Postero die P. Stocker aegroto administravit extremam unctionem, non vero

Viaticum, ob periculum vomitus. Diebus sequentibus multi alii confratres P. Eduardum visitorunt, sed quoties sese offerebant ad manendum apud eum etiam nocturno tempore, ipse id omnino renuebat. Dominica 25 Ianuarii aegrotantem seu potius moribundum, etiamtum lucida mente praeditum, sic inuisit P. Carolus Dungler; ei in memoriam revocavit, quod toties in vita, Montem Episcopalem ascendens cum suo Sanctuario Virginis Perdolentis, coronam Septem Dolorum recitasset. Eduardus nil aliud respondit nisi: *C'était si peu de chose!* Postea ter repetiit: *Priez!* Et cum saepius repeteret *oui*, P. Dungler interrogavit, velletne sic exprimere suam ad Dei voluntatem conformationem. Responsum fuit novum et fortius *oui*. Tardius audiebatur saepe repetere: *Tu Rex gloriae, Christe!* sic manifestans, quam bene intellexisset in vita mortali singularem, immo unicam SS. Redemptoris nostri magnitudinem. Absque agonia in pace Christi quievit eodem die, h. 9,45 p.m.

« In caelo (ita longius necrologium gallicum Patris Dungler clauditur) proculdubio P. Philipps orabit, ut e iuvenatu, custode sui sepulcri, Domina Nostra a Tribus Spicis faciat exire novam generationem missionalium, sui aemulorum, dignorum filiorum S. Alfonsi ».